

PAVLVS NIAVIS LYPSENSIS PROFESSOR.



Paulus natione Germanus, literarum desiderio sese Lypsiam in Academiam contulit, atque diligentem operam literis nauauit. Itaque factum ut in Philosophia, & humanioribus literis ipsaque Theologia magnum nomen acquisierit. Erat enim optima indole & rara eruditione praeditus. Itaque procerum consensu eius scholæ professor publicus assumptus fuit. Ibi docendo & scribendo sibi ex Gymnasio Lypensi magnam autoritatem cōparauit. Scripsit is pro tyronibus literarum, de Institutione Latini sermonis, atque colores Rhetorices. præterea rationem conscribendarum Epistolarum, cum multis alijs, quibus iuuentuti mirum in modum profuit. Vnde ab omnibus eius loci hominibus plurimum dilectus fuit, circa annum Christi 1495. Trit.